

Bibliothèque numérique

medic@

**Demours, Antoine-Pierre - candidat /
Robert, Marin-Jacques-Clair -
président / Col de Vilars, Elie - auteur.
- An Leucophlegmatiae, leves
Scarificationes ?**

1784.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°105***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0105](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0105)



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Santé
Médicale
Paris

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA*,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis quartâ

Martii, anni M. DCC. LXXXIV.

M. MARINO-JACOBO-CLARO ROBERT,

Doctore Medico, Præside.

An Leucophlegmatia, leves Scarificationes?

I.

MACHINAM humanam format unicum vas multifidum, quod, ut diametro
sic & nomine varium. Per ejus ramos, licet sub finem stupendæ tenuitatis,
varii generis Fluida, perrenni motu aguntur, tenuantur, secernuntur. Magna
enascens è Corde Arteria, innumeros spargens furculos, ad omnes Corpora

* Propugnata à Joanne MIDY, M. ELIA COL DE VILARS, Præside.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

partes Sanguinem pellendo vehit, quem excipiunt duplicis speciei vasa; Venæ, scilicet, sanguinæ & Arteriæ lymphaticæ. Has longè numerosiores, promissiores, minores, subit Lympha, sive alba cruoris portio, denegato rubris ipsius globulis, utpotè crassioribus aditu; qui quidem globuli, urgente Cordis & Arteriarum systole, Venarum radices immediate inire coguntur, Cor iterum petituri. Lympha verò secretionum omnium materies, Arterias suas emensa, sepositis diversis fecernendis succis, à Venis lymphaticis hauritur, ad Cor itidem deveniendi. Si quæ autem pars, maximè Corporis ambitus lymphaticis vasis scatur. Cutem intra, & adiposæ Corporis cellulas, mirabile horumcè tubulorum rete exspatiatur, quod oculis jucundè manifestant injectiones. Quò facilior foret & citior revehendi cruoris ad commune principium regressus, opus erat ipsi occurrere duplicem viam, quam suppeditant Venæ sanguinæ & lymphaticæ, ne Sanguinis circuitus tardaretur, sed fluxus in Arteriis celeritas, medianibus utriusque generis Venis, compensaretur. Dùm liberè sit ille Liquidorum circuitus, viget sanitas. Ex illorum inordinatione, nascitur morbus; & sicut à cruoris stasi, Pnalogosæ, morbi acuti Phlegmonæ, Erysipelas, ac cæteri tumores inflammatorii; sic & ab impedito Lymphæ cursu, Hydrops, Œdema, Leucophlegmatia. Sub hac Anasarca minis aptè dicta, tumet partium; præsertim inferiorum, universa cutis, albet, emollitur, laxatur; prementis digiti vestigium retinet. Sensim corrumpitur subsistens Liquidum, & funesta minatur symptomata, nisi mature tollatur continens morbi causa.

I I.

QUEMADMODUM Cachoymia, Cachexia; sic Cachexiæ Leucophlegmatia plerumque soboles; cujus causa proxima, stagnans Lympha, à Sanguinis mora, vel conglobatarum glandularum obstructione, oriunda. Progredienti verò Sanguini moras nectunt ipsius spissitudo, aquea diathesis, paucitas, vasorum ejus compressio, vel tandem à morbo Atonia superstes. Equo spissior Sanguis, Systolicam Cordis & Arteriarum vim recusans, segnitè vibratur; tardi-gradus eructat Lympham, Tegumenta inundantem. Parem Lymphæ exundationem & stagnationem ab aquea Sanguinis diathesi, fibras laxante, expectes. Nec mirum si post Hæmorrhagias aliasque immodicas evacuationes, imminutâ Sanguinis mole, deficiente sufficienti succi nervosi secretionem, languentibus proinde solidis, cruor inertius propulsus, suum deponat aqueum laticem, adiposum Corpus jam laxum & à Corde distitum, irrigaturum. Similis contingit effusio lymphæ, à vasorum sanguineorum compressione, ligatura. Compressis ab Utro iliacis gravidarum Venis, nascitur Crurum Œdema; à Vena, vel membro ligato, tumor Œdematosus. Haud quoque rara ab efflorescentia à morbo viribus, Leucophlegmatia; etenim sub atonia Corporis, fibrarum elaterem remitti; vasorum parietes confidere; Fluida deside procedere passu; Stomachum lassari; alimentorum solutionem depravari; Chylum malè susceptum; Sanguini suppeditari, quid frequentius obvium? Num hac posite virium defectione, laxatæ Tegumentorum cellulae torpentibus aquis madeant, necessum habent? Hinc è morbo recreatis, Pedum, Crurum, Manuum, imo & Vultus Œdematosus Tumor familiarissimus. Eundem Tumorem à conglobatarum glandularum obstructione observare est; in his enim organicis partibus impactus obex, præpeditâ Lymphæ transmissione, ipsius restagnationi præbet ansam. Quot & quanta ex his memoratis causis futura mala! Diuturniori morâ acrior & vitiosior facta Lympha, teneros vasorum suorum parietes sensim laxando, comminuendo, laniando, effunditur. Hinc Hydatides, abscessus serosi, Ulcera cacoertha, Gangræna; tandem mors. Ocyus igitur vacuandæ sunt hebetes aquæ, ne corruptelam concipiant.

RESTAGNANTEM in Leucophlegmatia Lympham non unica eliciendi via. Patet frequentior per Diuresin & Catharsin. Nonnunquam per Hydrosin, effusa carcere, sibi pandit iter. Idcirco in spissa Sanguinis diathesi & glandularum infarctu, Aperientia, Diuretica, Hydragoga, Mochlica, Hydrotica exhiberi, vaporisque Balnea & Hypocausta adhiberi solent; his siquidem remediis lenta tenuantur Fluida, referantur glandularum ergastula, per Renes facilius & copiosius secernitur serum; contrectata à Catharticis intestinorum glandula, Lympham fusilis effundunt. Sic hauriuntur exundantes aquae. Verùm quantâ morâ; quantis ægrotantium cruciatibus, quantâ totius Corporis macie, dubium illud beneficium obtingat, plura testantur exempla! Immò subit metus ne, eliminatâ à solo cruore Lymphâ, magis ac magis inspissetur sanguinea moles, consuetum ideò circuitum tardius absolutura; dùm interim madet Corporis peripheria. Quid est ergo cur hisce remediis diutius institeris? Cum faciliora, expeditiora & minùs tædiofa præsto sint alia auxilia; leves intellige Scarificationes, quibus cautè adhibitis, brevi cedit aqua intercus.

I V.

QUO prosperè succedant Scarificationes, hæc potissimum observanda veniunt. 1°. intacti remaneant muscoli; ita ut mali sedes Ferro tantum attingatur. Secus madidiora subirent Ulcera curatu difficiliora. Cutem igitur ad Corpus adiposum usque Lanceolâ scindere, & in quaque Crurum interna ac externa, Femorumve anteriori parte, duas tresve scarificationes, quatuor transversos circiter digitos longas, instituere sufficit. Totius Corporis ambitus redundans humor, datâ hac eluvie, stillando profluet ex omnibus adiposis cellulis, utpotè sibi invicem communicantibus. 2°. Tempestivè fiant incisiones. Erraret qui ferius ad hoc confugeret præsidium. Diutius in Corpore resistans vel tenuis simum Liquidum, acorem ducit; fibrosum flaccescit Tegumentorum madidius textile; Nervorum extrema spirituoso ac vitali succo orbantur; vulnerata cutis, udior cicatrici repugnans, manante corripitur Ulcere, sæpissimè Sphacelo. Priusquàm ergo hæc inusta fuerit labes, & simul ac cæterorum remediorum vim eluserit morbus, minimè protelari, quin imò ipsis sociari amant Scarificationes. 3°. Nulla sit in visceribus inveterata obstructio, nullus immedicabilis Scirrhus, nullum Ulcus, nec Scorbutus, Syphylis, Scrophulæ. Haud ab Atonia, Inedia, Hæmorrhagia, vel sub diuturniori ægritudine fatiscat æger. Sic confictatus, Scarificationibus paulum juvari, non verò sanari potest. 4°. Peractâ operatione, Splenia Aquâ-vitæ camphoratâ, vel alia congruenti madida, fibrarum tonum instaurandi causâ, vulnusculis admoveantur. Effuso latice, citò coalescent.

QUID in Leucophlegmatia fausti sperandum à levibus Scarificationibus, neminem intento rem animo perpendentem fugit? Laxatâ adiposarum cellularum fibræ, exuberantibus undis liberatæ, pristinum elaterem, se se contrahendo, recuperare valent. Vasa omnia amissum tonum resumunt. Instaurantur Syssaltici motus. Liquida validius urgentur: Secrétiones & cæteræ functiones redintegrantur. Sic detumescit & firmatur cutis. Id boni contigisse, plus vice simplici observavimus. Si quâ arte, hac potissimum Chirurgiâ agros sanitati reddendos

certum est, Alia nihilominus haud improbamus medicamenta, quæ, quò Natura vergit magis sive, Diuresi, sive Catharsi, vel Diaphoresi, ferocem colluviem eliminandi virtute pollent. Auxiliatrices manus sibi mutuò præstant Pharmacologia & Chirurgia. Hæc tamen tutior est, citior & iucundior. Ex ipsamet aq̃ da parte immoratum effundit Liquidum, quod nisi per longos, & sæpius impedire tramites, medicamentorum vel efficacissimis viribus, Secretoria peteret. Ac iterum monere juvat sedulo cavendum, ne iam flaccidæ partes ac depauperatæ scarificentur; si eas Gangrænæ minus obnoxias fore, velis. Nec aliis adacto Ferro faucientur muscoli, quos à putridis Ulceribus arceri satagis. Hæc ne utquam timenda veniunt, modò ægrotantibus adhuc consent vires, & ii deploratâ symptomatum sævitate nondum crucientur, nusquamve Corpus adiposum ultrâ pervadant sectiones.

Ergò Leucophlegmatia, leves Scarificationes.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Ludovicus Cyprianus DE MONTAIGU,</i>	<i>M. Paulus-Gabriel LE PREUX.</i>	<i>M. Simon-Ant. BRINGAUD,</i>
<i>M. Philippus PETIT-RADEL.</i>	<i>M. Lud.-Claudius GUILBERT,</i> <i>è Societate Medicâ Edimburgensi,</i> <i>antiquus Regis exercituum Medicus ordinarius.</i>	<i>M. Claudius-Josephus GENTIL,</i> <i>Militarium Nosocomiorum ad Regis exercitum Medicus.</i>
<i>M. Renatus LOUICHE DES-FONTAINES.</i>	<i>M. Edmundus-Claud. BOURRU.</i>	<i>M. Edm.-Thomas MOREAU,</i>

Proponebat Parisiis ANTONIUS - PETRUS DEMOURS, Parisinus, Regis Christianissimi Medicus Ocularius designatus, nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.
A. R. S. H. 1784. AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1784.